ARISTOTELES LATINUS. BOETHIUS

12. Jh.

Seite 103r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=874
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

stantie aliud est corporale aliud incorporale recte diuisionem
fecerit. He namque differentie proprie substantie sunt. Si quis uero sic sub-
stantiarum alia sunt animata alia inanimata, hic non recte substantie
differentias disgregauit. Corporis namque differentie sunt non substan-
tie, idem secundi generis non primi. Quare manifestum est secundum proprias diffe-
rentias non secundum posterioris generis primorum generum diuisionem esse
faciendam. Quotiens autem genus aut in differentias aut in species sol-
uitur, post diuisionem factam mox diffinitiones aut exempla subden-
da sunt. Sed si quis diffinitionibus non habundet, satis est exempla subicere,
ut cum dicimus corporum alia sunt animata subiciamus ut homines uel fere,
alia inanimata ut lapides. Oportet autem diuisionem quoque sicut terminum
neque diminutam esse neque superfluam. Nam neque plures species quam
sub genere sunt oportet apponi, nec pauciores, ut in se ipsa diuisio sicut
terminus conuertatur. Conuertitur enim terminus sic: Virtus est mentis habitus
optimus. Rursus habitus mentis optimus uirtus est. Sic et diuisio. Omne
genus aliquid eorum erit que sunt species. Rursus quelibet species pro-
prium genus est. Fit autem generis eiusdem multipliciter diuisio, ut
omnium corporum et quecumque alicuius sunt magnitudinis. Sic enim cir-
culum in semicirculos et in eos quos greci tomeas uocant, nos diuisio-
nes possumus dicere, distribuimus. Et tetragonum alias ducto per an-
gulum diametro in triangula. Alias in parallelogrammata. Alias
in tetragona separamus. Itaque genus ut cum dicimus: Numerorum alii sunt
pares, alii impares. Et rursus alii primi alii non primi. Et triangulorum
alia sunt equilatera, alia duo sola latera equa habentia, alia totis in-
equalia lateribus. Et rursus triangulorum alia sunt rectiangula, alia
acutos habentia tres angulos, alia obtusium. Sic igitur generis unius fit
diuisio multiplex. Illud autem scire perutile est, quoniam genus una quedam
non multarum specierum similitudo est, que earum omnium substantia-
lem conuenientiam monstret. Atque ideo collectiuum plurimarum spe-
cierum genus est. Disiuncte uero unius generis species. Que quoniam diffe-
rentiis informantur ut dictum est, iccirco sub uno genere minus
duabus speciebus esse non possunt. Omnis enim differentia in discrepan-
tium pluralitate constat. Sed de diuisione generis et speciei